



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

1. Kaiser Heinrich VI. bekundet das vom Markgrafen Otto von
Brandenburg und von seinem Bruder Albert im Beisein der Fürsten zu
Geilhausen abgelegte Bekenntniß, ihre Erbgüter Möckern und Scholläne
der ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

1. Kaiser Heinrich VI. bekundet das vom Markgrafen Otto von Brandenburg und von seinem Bruder Albert im Beisein der Fürsten zu Geilhausen abgelegte Bekenntniß, ihre Erbgüter Mökern und Schöllane der Kirche zu Magdeburg vereignet zu haben, am 28. Oktober 1195.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, Henricus Sextus, divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus et Rex Sicilie, Hiis, que a nostra maiestate postulantur, eo fauorem nostrum libentius impertimur, quo per ea et maior utilitatibus ecclesiarum accedit commoditas et legitimis nichil deperit institutis. Inde est, quod presentium et futurorum noticie transmittimus, quod cum essemus in curia solempni Geilinhufin, fideles nostri, nobiles uiri, Otto uidelicet, marchio Brandinburgensis, et frater eius Albertus, in nostre celsitudinis presentia ubi copiosus principum atque fidelium Imperii aderat numerus, manifeste sunt confessi, quod uterque eorum, altero, petente et compromittente, hereditatem suam Mokernie cum omnibus suis pertinentiis, et Zcolene cum tenimentis suis, Agris, Nemoribus, Pratis, Pascuis, Molendinis, cultis et incultis, Aquis aquarumue decurfibus, ecclesie Magdeburgensi contradidit, et ambo petierunt, donationem suam diualis Pagine nostre patrocinio corroborari. Statuimus igitur et Imperiali edicto firmiter sancimus, ut nulla omnino persona alta uel humilis, ecclesiastica seu secularis, contra hanc nostre confirmationis diualem paginam uenire audeat, uel ei ausu temerario contraire, Quod si quis facere attemptauerit, in ultionem congressionis Centum libras Auri componat, medietatem camere nostre inferendam, partem residuam iniuriam passis perfoluat. Ut autem hec nostra confirmatio rata permaneat et inconuulsa, presentem inde paginam conscribi et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Huius rei testes sunt: Conradus Moguntinus Archiepiscopus, Luidolfus Magdeburgensis Archiepiscopus, Rodolfus Verdonensis episcopus, Bernhardus dux Saxonie, Henricus dux de Bruniswic, Hermannus landgravius Thuringie, Otto marchio Brandinburgensis, Adolfus comes de Scowinburc, Gebhardus burgravius Magdeburgensis, Poppo comes de Werthem, Albertus comes de Spanhem, Robertus de Durna, Hartmannus de Baetingen, Ar-

noldus de Hornberc, Heinricus Marfcalcus de Kalindin, Heinricus pin-
cerna de lutra et alii quam plures.

Signum domini Heinrici Sexti, Romanorum (L. M.)
Imperatoris, inuictissimi et regis Sicilie.

Ego Conradus Imperialis aule cancellarius, uice domini Conradi Moguntini
Archiepiscopi, totius Germanie Archicancellarii, Recognoui. Acta sunt hec Anno
domini M^o C^o XC^o quinto, Indictionis XIV. Regnante domino Henrico Sexto
Romanorum Imperatore gloriosissimo et Rege Sicilie, Anno Regni eius uicesimo
VI^o imperii uero Quinto. Datum Geilinhufin, Quinto Kal. Nouembris.

Original im Geh. Staats-Archive.

2. Der Markgraf Otto von Brandenburg und sein Bruder Graf Albrecht übergeben der Kirche
zu Magdeburg alle ihre Erbgüter in der Mark und in den zur Mark gehörigen Graffschaften,
so wie in den Graffschaften Dieterichs von Groitsch und Otto's von Falkenstein,
am 24., 25. und 28. November 1196.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis, Otto, diuina fauente clementia Se-
cundus Marchio de Brandenborch. Licet ad eorum omnium firmitatem, que in
nostra presentia rationabiliter statuuntur, quantum possumus intendere teneamur, ad id
tamen, ut facta propria firmamento stabili roboremus, potiori debito prouocamur. Ea
propter tam uniuersitati presentium quam et futuris in posterum declaramus et notum
facimus, quod nos et ingenuus Comes Albertus, frater noster, octauo Kal. Decembris
in Maiori Ecclesia Magdeburgensi constituti, ad reconciliandum nobis nostri clemen-
tiam redemptoris, pro animarum nostrarum et proprie salutis profectu, ut orationum que
ibidem iugiter sunt participes redderemur, predia nostra quecunque in ducatu trans-
albino seu Marchia nostra, et in Comitatus Theodorici illustris de Crowizh
et nobilis uiri Ottonis de Valkenstein Comitum, nec non et in omnibus Comi-
tatibus ad Marchiam nostram pertinentibus habuimus sita, tam infeudata quam libera,
glorioso martyri sancto Mauritio et Ecclesie Magdeburgensi in ius et proprietatem
cum omni plenitudine iuris tradidimus prediorum quam plurima uocabulis propriis ex-
primentes. Hec autem traditio primum per nos ex consensu et compromisso ac uolun-
tate predicti fratris nostri et postmodum per ipsum de nostro consensu et compromisso
super maius altare fuit legitime celebrata, et ibidem a uenerabilibus Friderico, tituli
sancti Marcelli presbytero Cardinali, apostolice sedis legato, et Luidolfo,
Magdeburgensi Archiepiscopo, ex utriusque nostrum petitione et desiderio per
distinctionem anathematis confirmata. Promissimus nihilominus, tam nos, quam et frater
noster, data fide, quod et iuramento corporaliter prestito confirmauimus, eandem tra-